

\_Lettera\_N\_1974

Dichiarazione per don Denis Halinan

\*Datum Taurini, nonas junias MDCCCLXXIV

Salesiana Societas, habito Supremi Antistitis Pii Papae IX consilio, catholicam fidem ad exterarum gentes enunciaré desiderans, illa elegit loca, in quibus anglicana lingua praecipue adhibetur.

Ad hunc finem consequendum cum in verbo Dei fidelibus exponendo atque in pueris erudiendis maximo adiumento foret, si Evangelici operarii haberentur qui hujusmodi sermonem tamquam patrium callerent: ideo dilecto nobis in Christo Dionysio Halinan Sacerdoti optimo hibernensi opus commendamus ut hac in re nos adjuvet atque in Hiberniam rediens adolescentulos bonis moribus et alacri ingenio

praeditos quaeritet, eosdemque apud nos deducat dummodo in sortem Domini vocatos esse censerí possint, et ad exterarum missiones vel saltem ad Congregationem Salesianam profitendam aliqualem animi propensionem ostendant.

De conditionibus, quae ad rem faciunt, speciale verbale mandatum eidem exemplari Sacerdoti committimus, quem Ordinario suo humillime commendamus, atque servata Episcoporum reverentia et jurisdictione apud eosdem pro nobis benevolentiam et protectionem postulaturum obsecramus.

Ioannes Bosco sac.